

31 32

DE
IVDICIO MIRACVLORVM
IN
SACRA SCRIPTVRA COMMEMORATORVM
CAVTE AB INTERPRETE INSTITVENDO
DISPVATI

~~~~~  
P R A E S I D E  
**IOANNE AVGVSTO NOESSELT**  
THEOLOGIAE PROFESSORE  
AD D. XXIX APRIL. MDCCXLXII  
PVBLICO EXAMINI SVBIECTA

AB  
AVCTORE  
**IOANNE GVNTHERO STELLWAGEN**  
ECCLESIAE BARSTEDENSIS IN FRISIA ORIENTALI  
H. T. PASTORE.



EDITIO ALTERA EMENDATIOR.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELII VIDVAM  
MDCCXLVI.

50

МУЗЕИ ВОЛГИ ОБРАЗЫ

МУЗЕИ ВОЛГИ ОБРАЗЫ  
СОВРЕМЕННОГО ВРЕМЕНИ ВЪ ЗЕМЛЯХ

СОВРЕМЕННОГО ВРЕМЕНИ

МУЗЕИ ВОЛГИ ОБРАЗЫ  
СОВРЕМЕННОГО ВРЕМЕНИ

СОВРЕМЕННЫЕ ОБРАЗЫ



## ARGUMENTVM DISPV TATIONIS

*Post prooemium de habitu errorum  
in indicandis miraculis ad reti-  
gionem,*

*Offenditur: quid sit miraculum ex  
sententia scripturæ faciat. §. I.  
Arque notas huins definitionis de-  
fenduntur. §. II.*

*Tum duplex super ea re quaestio  
proponitur, & subiiciuntur*

*1) canones obseruandi, si ipsa  
verba sacrorum librorum hanc  
causam definiunt. Et*

*quidem 1. si script. sacr. adhi-  
bet verbum *et quicunque vel simile.*  
§. III.*

*quae obseruatio defenditur  
§. IV.*

*aut si usurpat *Φάρα*: Spir-  
itum Dei venisse in aliquem:  
quae etiam aduersus obiectio-  
nes vindicatur. §. V.*

*2. de obseruando usu loquendi  
in harum rerum enarratione.  
§. VI.*

*quem nullo modo dimittendun  
esse docetur. §. VII.*

*adicta admonitione de loquen-  
di eriam confutudine specia-  
li tenenda. §. VIII.*

*3. de conferentis tocis similibus  
S. S. §. IX.*

*II) Proponuntur canones de eo  
quod, tacente scriptura, facien-  
dum sit*

*1. si res narrata naturæ vives  
excedit. §. X.*

*2. si nulla plane miraculi vesti-  
gia in verbis sacris apparent,  
sed*

*3. probabiliter caussæ natura-  
les rei factæ ostendi possunt.  
§. XI.*

*4. Si per miraculum nihil Deus  
obtinere potuisset, sed illud  
potius cum Dei sapientia pu-  
gnat. §. XII.*

*Denique post obseruationem de in-  
terpretatione rerum natura-  
lium, disputatio finitur. §. XIII.*

A 2

Si



Si semper impium est & magno cum  
periculo verae religionis coniunctum,  
de rebus diuinis iudicare sic, vt  
omnia, quae intelligentiam nostram  
superant, reiicienda, atque nihil ab  
ea remotum esse putemus; tum pre-  
cipue in eo ingens impiaque stultitia cernitur, si, quae  
Deus ad gloriam suam declarandam edidit miracula, per  
solas caussas naturales facta esse temere fingantur. Et  
enim sit sane ea re, vt multa sacrorum librorum dicta,  
quae horum miraculorum certissimam mentionem faciunt,  
ad ludentis ingenii arbitrium torqueantur multaque fin-  
gantur a recto eorum sensu ipsaque euentorum veritate  
longe abhorrentia. Quod non solum per se turpissimum  
iudicari debet, sed etiam detrimentosum propterea, quod  
eo ipso narrata omnis paene vfls per huiusmodi prodigia  
obtinendus apud homines amittitur. Namque ea cum pro-  
ducantur a Deo, vt ex iis Deum praesentissimum virtu-  
tesque atque doctrinas diuinas, tanquam ex effectibus suis  
caussas, agnoscant: non potest fieri, quin, quidquid cape-  
re ex illis emolumenta possent homines, totum, quantum  
quantum est, pereat. Ac istis miraculis quoniam verae  
doctrinae adiunctae sunt, quibus nimirum confirmandas  
ea seruire omnino debent, nec laedi aliquid coniunctorum,  
salvo fatis altero, potest: certe dubitare non possumus, quin  
damnum



damnum miraculis illatum etiam ad ipsa illa decreta sententiasque diuinis pertingat, magnaeque illis tenebrae offendantur. Contra ea si quem videmus, qui vbiique miracula somniat, dum forte praeter naturam facta, admiranda, inexspectata, atque ea quorum ratio naturalis ipsum fugit, & vero etiam talia saepenumero quae per naturae vires existere optime potuerunt, nec, si facta per miraculum essent, veram Dei agnitionem promouere magis potuissent, pro miraculis vendirat; is quidem errat forte plerumque tolerabilius, sed errat tamen, & non raro turpisime. Deus enim, qui non nisi sapientissime egisse censendus est, neque naturam bene constitutam sine legitima causa immutat, non loco ac ratione talia edidisse dicitur per istam sententiam, si rem refecare ad viuum velis; immo cautoribus, qui fraudem in fingendis miraculis commissam sentiunt, suspicio mouetur, miracula, etiam verissima alioquin, facta esse & ab ingenio humano excogitata. Quare quantum res sacra detrimenti capiat, facile est videre; ut rectissime CICERO dixerit (de Diuinat. lib. I. cap. 4.): *Cum omnibus in rebus temeritas in assentiendo errorque turpis est, tum in eo loco maxime, in quo iudicandum est, quantum auspiciis, rebusque diuinis, religionique tribuatur. Est enim periculum, ne aut, neglectis iis, impia fraude, aut, suscepitis, anili superstitione obligemur.* Iudicium igitur miraculorum cum admodum coniunctum sit cum religione eiusque cognitione rectissima: non male arbitrati sumus operam collocari, si, quomodo miracula ab interprete agnoscenda sint, breuiter ostenderemus. Faxit summum numen ut hae curae nostrae in gloriam nominis sui cedant.

## §. I.



## §. I.



Cum ad curatiorem rei considerationem accurata eius notio permultum faciat; nos quidem non inepit agere putamus, si, quid miraculi nomine veniat, paucis declaremus; quo omnis verborum concertatio euerteret &, quid nobis hic intelligatur, cuius appareat. Possemus quidem hac opera prorsus supradicere, dum in definiendis istis aliis, eosque illam rem subtilius quaerentes, non admòdum dissentientes habebimus; aut mittere huius rei ignaros ad Philosophorum Scholas, qui sibi cum Theologis istam rem disputandam sumserunt. Sed cum istis sapientiae humanae doctoribus, per ipsam disciplinae suae indolem, id datum sit negotium, ut vnam naturam eiusque admonitionem sequantur; vnicum autem miraculorum notitia et testimonii diuinis, in sacra scriptura propositis, vnicum hauriri possit, nisi quod, quomodo, quae per naturam efficiantur, fieri potuerint, philosophia declarat: vnicum librorum nobis diuinorum ductum sequi satius vsum est & a periculo labendi remotius. Quodsi igitur hos consulimus, necesse erit loca quaedam proferre, in quibus de miraculis haud dubie agitur, atque ex istis notis ad illam rem pertinentes ducere, ad quem vsum adhibebimus dicta Ioh. cap. II. v. 1. seqq. coll. v. 11. Matth. cap. XX. v. 38. sqq. coll. cap. XVI. v. 1. Marci cap. XVI. v. 17. sqq. & Ioh. VI. v. 30. 31. In primo loco IOANNES deseribit nuptias Canae in Galilaea celebratas, quibus IESVS cum discipulis atque matre interfuit, atque vino deficiente vinum in aquam commutauit. Cuius sectionis versum 11. si conferamus, intelligitur: Iesum hoc ipso tacto initium fecisse miraculorum; illam etiam rem, si vere existit, quod credimus scriptoris diuini fide dignissimo testimonio, ita euidenter est, fieri per aquae naturam non potuisse, vt omnium mortalium stultissimum esse oporteat, qui miraculum hoc loco factum esse neget. E quo ut notas miraculi cognoscamus,



scimus, placet obseruare: IESVM commutasse hic aquam in vi-  
num, quae res sensu profecto a praesentibus percipiebatur, illa-  
que immutatio eius erat generis ut per naturam rei fieri non  
poruisse, atque dirigebatur eo, ut gloria IESV CHRISTI h. e.  
diuina ipsius potestas ac virtus, declararetur, quae alias multis  
non fuisset futura credibilis. In altero loco narratur, Legis  
peritos & Phariseos postulasse ut miraculum a IESV ederetur,  
atque e loco simili cap. XVI. v. 1. signum caeleste Sadducaeos  
& Phariseos requisuisse a CHRISTO apparere. Quem locum  
iunat breuiter excutere propterea, quod in explicando illo cae-  
lesti signo interpres discordes esse videmus. Multi enim, at-  
que, vt aliquos nomine, inter veteres CHRYSOSTOMVS &  
THEOPHILACTVS, e nostrae memoriae hominibus CAMP. VI-  
TRINGA Obs. S. S. libr. II. cap. 15. ac Vener. HEVMANNVS in Ex-  
plicat. N. Testam. Tom. I. pag. 167-69. hoc σημεῖον ἐν τῇ Ἑγγὺῃ  
intelligunt de miraculo tali, quod a CHRISTO aduerterari eius  
postulassent in vel ex aere eliciendum, quemadmodum olim Mo-  
ses effecisset, vt caelestis cibus, Elias vero, vt ignis ex aere de-  
laberetur; adiunctu[m]que hanc aduersariorum rationem, quod in  
ceteris a IESV factis miraculis dubium fuisset: sintne ista Saran-  
ac ope an diuina virtute effecta? quare aiunt eos signum re-  
quisuisse edendum in eo loco, vbi nulla se ostendere vis Sata-  
nac sed vnius Dei posset. Quem sensum rectissimum esse dubi-  
tamus, primum, quia Iudei, id quod satis constat, etiam, vt  
multis videatur, e loco Ephel. II. v. 2., magnam vim Satanac es-  
se in aere arbitrabantur; quare non poterant profecto ex aere  
certum omnique a dubitatione remotum expectare signum, sed  
eadem obtinuerunt suspicio, fore, vt illud Satanac ope perficeret.  
Deinde vniuersi Euangelistarum commentarii declarant,  
non ex errore sed malitia Phariseos miracula Christi impu-  
gnantes, egisse; quod si igitur huiusmodi, quod illi interpre-  
tes volunt, miraculum optassent, certe verendum fuisset illis,  
ne Christus Eliae instar ignem ex aere in illos denocaret vindi-  
carerque miraculorum diuinorum contemptum. Quam ob rem  
magis placet nobis σημεῖον ἐν τῇ Ἑγγὺῃ interpretari de signo cae-  
lesti



Iesu h. e. non dubio, sed aperte diuinam IESV CHRISTI originem doctrinamque declarante, quemadmodum Matth. XXI. v. 25. baptismus Ioannis εξ οντος fuisse dicitur h. e. originis ac institutionis diuinae; unde patet, Phariseos nihil aliud voluisse, quam ut Iesus effectum, qui sub adspectum caderet, proferreret, eumque ita comparatum, ut pro supranaturali eum habere possent atque inde eum vere a Deo missum intelligere. Porro Marc. XVI. v. 17. 18. multa nominantur σημεῖα a credentibus in nomine CHRISTI peragenda, ut daemonia elicerent linguis nouis loquerentur, serpentes et medio tollerent, mortifera sine damno biberent atque aegrotos manibus impositis sanarent. Haec omnia sub sensu cadentia non propria ipsorum vi peragi poterant sed viribus a Christo concessis, effectusque erant, qui doctrinae de Christo diuinitus misso, eiusque verae religioni demonstrandae inferuerbant. Denique Ioh. VI. v. 30. sqq. vulgus a Christo σημεῖον petit; h. e. rem non visitatam & per naturae vires efficiendam, sed quam sensibus usurpare effectusque virtute plane diuina agnosceret, atque idcirco assentiri IESV CHRISTI doctrinac. Nam illud, quod postulant, miraculum comparant cum cibo maioribus suis diuinitus a Mose dato, voluntque simile videre, ut possint Christo credere. Quibus omnibus conficitur, ex modo loquendi, quem sacra scriptura, miraculorum mentionem faciens, adhibet, miraculum existere, si quid 1) sentimus fieri in rerum natura 2) non pendens ex ullis naturalibus, isdemque propria seu naturali vi agentibus causis, quod 3) signum est rei non cadentis sub sensu.

## §. II.

Operae pretium esse videtur eas, quas adduximus, miraculi notas uberiorius demonstrare. Ac primum quidem dicimus miraculum esse euuentum, qui in rerum natura existit & a nobis sensu cognosci potest. Antequam Deus hanc rerum naturam condidit, discrimen nullum erat inter miracula resque naturales, siquidem nihil nisi diuinum numen idque sua vi & natura necessario existit; neque enim quis actus aeternos in Deo persona-



personales aut ea, quae virtutum diuinorum effectus in Deo, ad nostrum cogitandi modum, fingimus, i. e. decreta, miracula dixerit. Similatque autem naturam rerum conditam esse concipimus; fingi potest eveniens qui vires rerum creatarum supererit, adeoque supranaturalis habendus sit. Effectus deinde miraculum esse debet, qui sensu percipitur, & omnes illi effectus, qui sentiri non possunt, licet sint supra naturam, a nemine miracula nominantur. Hinc conseruationem omnium naturae virium non ad ea referimus, quoniam a nobis non nisi argumentande intelligi potest, cum ex eo, quod res perpetuo a Deo pendent, efficiamus, Deum quoque omni temporis momento eas conseruare. Interim non id volumus, vt semper sensibus externis usurpari debeat res, quae miraculum a nobis appellatur, sed & eam, quam interno sensu percipimus, huc referendam esse putamus. Sic petavox, atque vt clarissimo exemplo vtar, *μετάνοια* Apostoli PAVLI, quam Actor. cap. IX. descriptam legimus, ratione supranaturali perficiebatur, interneque sentiebat PAVLVS vim admonitionis IESV CHRISTI tantam esse apud se, vt, licet pertinaciae Iudaicæ odioque in Christum eiusque doctrinam addictissimus, ramen ad meliorem mentem rediret, vehementissimamque religionis christianaæ inimiciniam cum summo eius amore promouendique honoris Christi studio commutaret. Eadem ratione e verbis PAVLI I Corinth. XIV. v. 4. apparet, haec etiam vera miracula fuisse, quae ipsi illi, qui dotibus ad miracula edenda ornati erant, apud se sentiendo animaduertebant. Nam cum eum, qui doce instructus si dicendi peregrinis linguis, quas aumquam institutione didicit vel exercitatione, dicat εἰπτόν *κίνδυνον* h. e. sibi ipsi prodeesse & apud se intelligentiam rerum diuinorum animique probitatem augere; satis declarat, tales internum beneficium diuini sensum habuisse, tanquam effectum dotis admirabilis a Deo concessae; quoniam incrementum pieraris eius non magis sine hac beneficiorum diuini intelligentia, atque haec ipsa non magis sine aliquo sensu, quam omnis humanae voluntatis propensio sine cognitione, atque haec sine sensu, potest existere. Alteram miraculi notam posuimus hanc, vt non penderet ab v-



lis naturalibus, iisdemque naturali vi agentibus caussis; unde consequitur, nullam rem, quae naturali modo efficitur, et si eius efficienda vis non cadat in certum aliquod genus rerum creatarum, sed in aliud tamen, sic ut non quidem aliena sit a vi omnium sed vnius alteriusque naturarum creatarum, ad miracula pertinere. Dare quidem possumus, homines miracula facere posse, cuius rei plurima in sacro codice exempla existant; at illi cum non propria sua vi agunt, sed eam veluti a Deo mutuati sunt, adeoque, motu illo diuino sublati, cessat etiam eorum vis ad efficienda miracula. Atque id est, in quo omnes uno fere ore consentiunt, ut non necesse videatur iis, qui rem, omni verborum concertatione abiecta, contemplantur, argumentis hanc miraculorum naturam persuadere. Quo etiam ipsi sacri libri tendunt, qui, cum de miraculis loquuntur, ea *divaque;* atque *regata* appellant. Quac verba non negamus quidem saepe in insulatis & inauditis usurpari *omnibusque iis,* quibus in admirationem homines rapiuntur, *sed dicuntur nonnumquam de effectibus etiam talibus,* qui nulla vi rerum creatarum possunt existere; & isto sensu hacc verba posita in sacris libris esse, ipsa natura illarum rerum verbaque sacerorum scriptorum docent; qualia sunt, ut his utar, *Auctor. III. v. 12. 13.* quibus affirmat *PE-TRYS,* non se vi sua, sed ipsum Deum, firmitatem membrorum sanitatemque clando, quem fanauerat, restituisse. *Tertiam* denique notam, quam in *miraculo regiminas,* non quidem ignoramus, plerumque non referri in miraculorum notis propterea, quod multa miracula existant, quae, quomodo ad confirmandam doctrinam aut rem non adspectabilem pertineant, non satis apparer. At ex eo quod ignoramus aut non satis dilucide perspicimus, non potest conclusio fieri sic, ut etiam illud, quod non videamus, negetur; & sunt certe multi, qui nobiscum in hoc constituendo miraculorum attributo consentiant, quorum nomina reperies in *10. CHAPMANI Eusebio Tom. I. cap. 2. §. 5.* vers. Germ. pag. 82. 83. Neque vero hic *primum* quaerimus: possitne miraculum fieri a Deo etiam alio consilio, quam hoc, ut homines ex eo rem aliquam non adspectabilem eiusque diuinitatem

rem intelligent? quod quidem facile damus propterea quod una  
 es multiplici potest cum consilio effici, veluti cum Christus red-  
 deret coecis, claudis, mutis, mortuis ceterisque videndi, ambu-  
 landi, loquendi, viuendique facultatem, id praeципue fecit ut se  
 diuinum esse legatum demonstraret, sed ita quoque ut vel illis  
 hominibus, in quos haec beneficia contulit, vel aliis gratificare-  
 tur. Neque porro in ea sumus haeresi, ut arbitremur non nisi  
 ad doctrinam cœlestem confirmandam edita miracula fuisse.  
 Nam cum de re non adspectabili loquimur, quae confirmari  
 debuerit per miracula, clarum est eo, praeter doctrinam, et  
 iam certitudinem auxili diuini aliaque referri posse; id quod  
 miracula Gideoni, Simsoni, Ezechiæ alisque exhibita docent.  
 Sed id obtineri volumus: per vsum loquendi sacrae scripturae,  
 qui in hac disputatione vnicare regnare debet, nihil quod vires na-  
 turae excedit, miraculi nomine donari debere, nisi sit huiusmo-  
 di, ut ex eo diuina rei non cadentis sub sensus origo colligi ab  
 hominibus queat. Ista res quoniam ad loquendi consuetudinem  
 in sacris libris receptam pertinet, quae non ex ipsa rerum natu-  
 ra sed claris testimoniis perspicitur; age proferamus ea, quibus  
 induci, hoc quidquid est, fuscipinus. Videlicet constat inter  
 omnes, sacram scripturam, cum de miraculo loquitur, illud si-  
 gni nomine (~~τειν~~ v. σημεῖον) appellare. Cuius nominis nulla  
 reddi ratio potest, nisi cam velis ipso hoc nomine significare vo-  
 luisse: in omnibus miraculis cogitandum esse de re aliqua non  
 ita sensibili, ut est ipse ille eventus, qui miraculum appellatur.  
 Nam quoniam haud dubie edocti erant Ebraei, omnia miracu-  
 la, quae Deus diversis temporibus ediderat, facta esse ad decla-  
 randam eximiam præsentiam Dei, doctrinæque a θεοπατέρεσσι  
 propositæ miraculisque confirmatae auctoritatem diuinam: hoc  
 signi nomen de huiusmodi rebus cooperunt usurpare; quos imi-  
 tati sunt postea Iudæi græce scribentes. Contra in nullo, quem  
 vidimus, loco, quidquam, quod miraculum non esset sensu eo,  
 quem defendendum fuscipinus, signum dicitur hastenus, quod  
 tamquam miraculum proponitur. Nam etsi obiicere quis pos-  
 set: ortum Christi a Maria virgine Ies. VII. v. 13. 14. signum

B 2

ab



ab ipso Deo dici; tamen non *signum* dicitur propterea, quod miraculum fuit, quo nomine, si *vsum* loquendi *scripturae* sequeris, proprie appellari non potest, tametsi certissimum sit, illam rem omnes naturae vires longissime superare; sed quod ex illa nativitate Messiae iamdudum a Deo posteris Davidis asserta, atque nunc nouo oraculo confirmata, colligere Achasus debebat, familiam Davidis, ex qua ortum duxerat, non extinctum iri ab Israeletis vel Syris, qui talia minabantur. Id ipsum etiam, quod volumus, declaratur clarissimis sacrorum librorum locis, in quibus non raro, cum iniecta miraculorum mentione, adiicitur, his ipsis dicti cuiusdam aut doctrinae aut missi ad homines magistri diuinam autoritatem confirmari debuisse; ut Genes. XV 8. sqq. coll. v. 17. Iud. VI, 17. sqq. Ioh. II, 11. Actor. III, 12. 13. Ebr. II, 4. atque aliis multis in locis qualia §. I. citauimus. Vindicari denique, illustrari saltem, hic definitionis nostrae *χαρακτηρας* ex iis potest, quae Romani aliquę sub ostensis & portentis intellexerunt; *quorum nominum vim*, inquit *ex eis* (de Diuin. I. 42.), *verba ipsa a maioribus posita declarant*; *quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, praedicunt, ostenta, portenta, monstra, prodiga dicuntur*. Quae quamvis ipse derideat, tamen id edocet, veteres talia putasse signa deorum, quibus res futuras nullo sensu usurpandas, sed mente concipiendas declararent.

### §. III.

His de miraculis generatim praemissis, in rem praesentem veniamus & disputemus de iudicio miraculorum legitime ab interprete sacrorum librorum ferendo; vbi duplex quæstio moueri ab eo potest, si ad definitum aliquem locum explicandum animalium appulerit; prima: *vtrum ea, quae in tali loco narrantur, vere ad miracula referenda sint, an habenda eiusmodi, ut per rerum naturam existent?* Quod si satis constat miraculum agnosci debere, tum examinanda est altera: *quatenus seu qua parte miraculis annumeranda sint ea quae narrantur, quaque minus?* Haud scio enim an illum miraculum efficiatur a Deo sic, *ut sine ullo medio agat aut nihil rerum creatarum ad illum vsum adhuc*



adhibeat. Hae duae quaestiones possent quidem a nobis separatim disputari atque doceri, quomodo is, qui sacras litteras interpretari velit, optime satisfacere vtrique debeat; sed cum istae ita copulatae sint, vt, si de priore praecepitur, fundamenta posterioris ponantur, vtraque potius coniunctim tractanda videtur, eoque modo, vt, quid interpreti his in rebus faciendum sit, idoneis argumentis exemplisque declaremus. Prima igitur, quae ab interprete adhibenda videtur, lex talis est: *vt omnes istos euangelia miracula putet, qui ab ipsa scriptura hoc nomine appellantur.* Nam cum facri scriptores neque in iudicando neque in loquendo labi potuerint; certe hac quoque in re non possumus meliorum scriptura sacra ducem sequi. Talia sacrorum librorum testimonia sunt, vt opinor, ea, quae aliquam rem dicunt σημεῖον fuisse, aut IESVM CHRISTVM eiusque discipulos σημεῖα, τέρατα, θυραῖς edidisse. Est tamen hoc, quod dicimus, cum aliqua cautione usurpandum. Nam cum haec verba saepenumero adhibeantur ad exprimenda ea, quae admirabilia sunt sed virtutem naturae non excedunt, aut quae signa quidem sunt sed res non cadentes sub sensu; perspicuum est, canonem a nobis propositum ita esse accipiendum: *nisi doceri possit: eiusmodi rem vel non fuisse praestitam tempore eo, quo signum appellatur, vel fieri per naturam omnino potuisse.* Prioris rei exemplum sit tocas is, quem supra §. II. citavimus ex Esa. VII, vbi Deus hoc signum Achaso dedit, quod virgo Messiam editura sit; quod, vt diximus, eo in loco non proprerea signum dicitur, quod ista res miraculum fuit, sed quod ille ex aduentu Messiae iamdudum a variis diuinis praedicto capere bonam spem certissimae liberacionis ab hostibus instantibus debebat. Posterioris vero rei capiamus exemplum et loco Luc. XXI, 25. vbi σημεῖα extirata dicuntur in sole, luna & stellis, quas siderum vicissitudines, nulla causa est, haberi pro miraculis, sed magnae & admirabiles indicantur corum mutationes, e quibus, tanquam signis, cum extiterint, colligendum sit: diem extremum huic terrarum orbi imminere. coll. loco simili Matth. XXIII, 29. cum istius sectionis v. 3. Neque vero dubitamus fore plerosque, qui omnem hanc



regulam vanam puteat, nec satis reperiendo in his rebus vero accommodataam. Nam & ista verba, obiicient, dubia esse ac rem quamcumque inusitatam & admirabilem exprimentia, & scriptores sacros dicent accommodasse se verbis suis ad usum loquendi popularem; quare, cum plebs saepenumero noua sibi & nondum ante vel visa vel audit a clamet miracula esse, confici his omnibus vocabulis nihil posse, nisi ut vel ea his significantur quae admirabiliter facta sint, non supra naturae vires, vel habita a plebe, non ab ipsis viris sacris, miracula fuerint. Contra quos dicendum esse arbitramur.

#### §. IV.

Ac primum si quis negauerit omnino his verbis ullum, quod vere ita dici posset, miraculum commemorari, certe negari debet, ullum miraculum huiusmodi a Christo vel eius discipulis editum fuisse, quin utroque potius admirabilia ecclesie eam tantum ob causam, ut homines, per ista, veluti ex somno excitatos, curiosos in indaganda doctrina illis adiuncta redderent. Quod tamen longe fecus est. Nam in quibusdam, quae in sacris libris relata legimus, miraculis, ita evidens est, naturae vires tantam rem efficere non posuisse, ut temerarium sit nihil nisi admirabile quid & rarum agnoscere, non item omnes naturae vires excedens; ut, si verum est Christum quinque panibus atque pisces duobus famem quinque milium virorum expellisse sic, ut duodecim sportas fragmentis repletas reponere potuerint, aut eum mortuos & quidem eos, qui iam quartum diem in sepulchro confecerant, ad vitam reuocasse, & quae sunt generis eiusdem: nemo tam nihil sapit, quin intelligat, tali rei naturae vires nullo modo sufficere. Quam responsionem, quomodo, qui fecus sentiant, declinare possint, non videmus, nisi si dem negare narrationibus caelestis voluminis velint, quod quam iniquum sit, docere hic non est necesse, cum alias demonstraret satis. Quod si igitur certum est, multis in locis *enarratio* & similia verba vera miracula significare: eritne credibile, etiam aliis in locis per ista verba talia indicari, donec aduersarii docuerint

non



non clamore aut tamquam Pythio oraculo, sed argumentis idoneis, sacros scriptores illum consuetum loquendi usum deseruisse? Sed isti ad mentem spectatorum opinionemque populariem accommodarunt se! Audio. Sed admodum vereor, ut hoc dissentientium causam, non nostram adiuuet. Principio id totum est falsum, illius aetatis Iudeos & auditores Christi a Messia non proprie sic dicta miracula expectasse, aut admirabiliter a Christo facta non numerasse in veris miraculis. Quid enim est 1) quod populus, cum vidisse grande illud longeque excellentissimum signum, Ioh. VI, 14. exclamat: eum, qui tanta fecerit, profecto magnum illum doctorem esse, qui in mundum venturus sit, h. e. Messiam? Et 2) nisi ii, qui rebus a IESV CHRISTO gestis intererant, ea diuina putauerint, sed admirabilia tantum; dicant tamen, qui contra nos disputant, quare necessarium existauerint Pharisei, ut IESV miracula non diuina, sed ope demonis peracta clamarent, nisi populus eorum diuinitatem agnouisset? Admirabiles enim res a Iesu gestas esse Pharisei non negabant, sed, eas ut diuinis crederent spectatores, impedire solebant. Istius igitur aetatis Iudei si illa facta omnino miracula esse crediderunt, ac si scriptores sacri, ut aduersarii nostri volunt, eorum sunt sententiam fecuti; tum id, quod volebamus obtiniri, verum est: sacros scriptores talia omnino miracula dixisse. Dixisse, ait, verbis id quidem, sed ex animi sui sententia non item! Ergone illa a Christo admirabiliter facta, miracula esse non agnouerunt? illi, qui ex his iubent colligi (Ioh. XX, 30.31.): IESVM esse CHRISTVM DEIQVE FILIVM? cumque unum esse per quem homines ad veram possint felicitatem pertingere? Ac Dominus noster IESVS CHRISTVS, cuius professionem ii, qui volunt scripturam sacram interpretari, spernere profecto non debent, quomodo is igitur de his a se factis iudicari voluit? Cum dixisset ad Philippum (Ioh. XIV, 9.): quicunque me videt, patrem videt, h. e. cum plane se Deo parem declarasset, tum vers. 10. addit: ipsum Deum ea facere per Iesum, quae fecisset is, ut sibi crederent. Et Iudei cum instarent Ioh. VI, 30. ut lignum ostenderet, quod viderent eique fidem adhibere possent,

et que



arque prouocarent ad Mosen (vers. 31.), qui maiores suos per quadraginta annos caelesti cibo recreasset; Christus responderet vers. 32.: Non Moses hunc vobis cibum e caelo dedit, sed pater meus. Haec ipsa CHRISTI clarissima professio quid aliud indicat, quam se ea, quae fecerat, plane diuina virtute fecisse, ea que, quae Iudei σημεῖα dicebant, vera & a Deo ipso facta miracula fuisse?

### §. V.

Horum autem locorum, in quibus σημεῖον & cetera eiusmodi virtutis vocabula vera miracula significant, similia sunt ea, in quibus sacri scriptores Spiritum Domini venisse in aliquem s. correptum eum a spiritu Dei dicant. Quam Φερστι ad facultatem edendorum miraculorum referendam esse, perpetuus eius usus hoc sensu declarat, vt Num. XI, 25. ac 1 Sam. X, 10., vbi, cum adiiciatur LXX. seniores a Mose constitutos ac Saulum vaticinatum esse, appetat, hunc modum loquendi non aliter, atque diximus, intelligi debere; vt de loco clarissimo Act. X, 44. coll. v. 46. nunc nihil dicamus. Quod conformatur sermone illustri Messiae Esa. LXI, 1. qui Spiritum Domini super se ait esse, quoniam a Domino uictus sit h. e. initiatus ad munus doctoris & fonsipitoris inter homines suscipiendum; quam rem dubito an quisquam dicat alio modo sumi debere, quam de diuinis plane dotibus, non per solam humanam, naturam ipsi propriis. Concludamus itaque his locis ducti, quod alibi quoque, cum ista phrasis occurrit, eadem res non naturae viribus effecta intelligatur, &, vt aliquod exemplum afferam, concludamus Simsonem Iud. XIII, 6., quem inuasisse spiritus Dei dicitur, leonem miraculo interfecisse. Quod negare voluit & ad risum torquere communem interpretationem ille nescio quis? qui in additamento ad Obs. selectas apud nos olim editas Observationem VI. pag. 174. seqq. posuit, in qua, vt alia multa satis inepte concessit, conuelere etiam argumentum conatur (§. VI.) a Φερστι, quam commemorauimus, desumptum. Nam primum non omne ait supra naturae vires esse, ad quod a Spiritu diuino impellimur, vt preces,

ces, templi frequentationem & alia. Vbi me poenitet miseri hominis & vsum loquendi Ebraeum confundentis cum nostra, non nimis semper accurata, & ignorantis nihil quicquam vere boni fieri ab hominibus posse per vires naturae, sed per diuinam virtutem talia debere effici, si Deo placere debeant. Deinde, ne quis erret, in Ebraeo dicendi genere רוח יהונָן animal, monet, excellentissimum significare, cuius impetum ille senserit, cum leonem sibi occurrentem vidisset. Iam etiam si demus, רוח רוח animalum excellentissimum eiusque imperus exprimere docendum erat, & si sexcenta, quae ille iactat, sacrorum librorum exempla posuisset, bene fecisset; nam mera, vt ita dicam, possibilitate etymologica res nullo modo concocta est. At ecce mihi hominem cautum qui letores moneat, vt videant, nisi nouo inuenio fidem habere ve- lint, quomodo Spiritus S. in Simione scortatore permanere, quo- modo cum capillis abscondi & cum iisdem rursum succrescere potueit? Istud nimirum est sapere & tanto ingenio dignum! Sed audamus tamen. Quomodo, inquit, manere Spiritus sanctus in peccatore ne'ando potuisset? Num is, qui talia dicit, cogitauit, quis sit spiritus Dei, quem occupasse Simonem sacri libri affir- mant? Dubito fere; aut quomodo non vident, de donis motibus que iis non esse sermonem, quibus probi homines ab improbis discernuntur, sed de ipsis, quibus nonnulli non natura sed diui- nitus ornati fueru ad efficienda ea quae naturae vires superant? Haec posse etiam in improbos cadere, negari idoneis rationibus non potest, suntque horum hominum in sacro codice exempla nou omnino nulla, vt Bileami, Caiaphae aliorumque Matth. VII. 22. 23. Neque perspicimus, quomodo hoc Deo indignum sit, Nam quemadmodum videmus, Deum confessores verae religio- nis excitasse, qui eius veritatem etiam morte sua obsigillarent, tametsi non de omnibus eius doctrinis rectissime senserint, si quidem satis erat Deo, capitalium doctrinarum auctoritatem, ab hominum impieitate certis temporibus labefactatam, defendere:

C

sic



sic etiam improbos, non absurdum est, miraculis caussam Dei confirmare potuisse, cum eorum miracula idonea essent, ad res absconditas, quas efficere Deus per eos volebat, significandas. Veluti Simsoni perspectum esse e talibus miraculis poterat: se esse a Deo destinarum auxilio oppressis Israelitis praestando; Israelitis autem non esse Deum ita a populo suo alienum, ut huic plane desperandum sit. Quod autem ineptum dicat is, contra quem dicimus, Spiritum sanctum, abscessa Simonis cælestie, decessisse ab eo, eaque accrescente ad eum rediisse, id non ineptum est profecto, sed ridiculum est aduersari ingenium, qui res sibi non intellectas miserabiliter detorquet. Si cui Deus tamdiu donem concederer, linguis numquam perceptis animi sensa exprimendi, quoad linguam haberet; rogo, si lingua illi exscindetur, cessaretne istud omne, quantum quantum est, donum? Cessaret haud dubie. Ergo cum lingua istud donum excederet. Absurdum hoc esse putandum est? Nihil tale agnoscō; & in Simone res similis absurdum est, nisi non alia lege, quam seruatis capillis, donum tanta faciendi concessum erat? (Iud. XIII, 5.) Sed instat: 1 Sam. XVI, 23. eum, qui v. 14. *malus spiritus* fuerat appellatus, Spiritum Dei appellari. Quod aduersarium reddere cautiorem potuisset, vt videret *Spiritum Dei* hic non esse significatione bona, nec pro magno animo positum, vt ille volebat, sed malum a Deo Sauli immisum. At quid necesse est, longius aduersus illum disputatione? ad alio progressiamur.

### §. VI.

Multa sunt in rerum natura, quae cogitationem nostram refugiant; nec ita sumus perspicaces, ut ipsas naturae vires omnianque ea, quae per has effici possint, videamus. Ac earum quoque si summam haberemus intelligentiam, ut iudicare possemus, quod certo in tempore ac causa fieri per naturam posset: tamen, an ipsa decreta diuina hoc modo satis ad effectum perduci queant, atque ita quod natura existere potuit, sic omnino extiterit etiam, hoc vero ignoramus; estque necesse, ut naturane an ipsa Dei virtute

virtute effectum sit? Dei ipsius testimonio discamus. Vnde per-  
 spicuum est, primum ineptum esse, si quis ad imbecillam men-  
 tem suam iudicare totam istam rem velit; deinde, cum illa res  
 uno Dei testimonio continuetur, vnam sacram scripturam hic es-  
 se consulendam, quae omnem istam questionem dirimat; deni-  
 que illius sententiam nobis perspectam esse, proptereaque e le-  
 gitimo locorum sacerorum sensu intellecto omne illud iudicium  
 duci debere. Quae cum ita sint, nihil in interpretatione ad-  
 mittendum est, quod sit ineptum & ab omni vera interpretatio-  
 ne alienum. E quo genere erat THOMAE WOLSTONI stultitia,  
 qui miracula IESV CHRISTI, quae ab Euangelistis relata legi-  
 mus, non sensu grammatico sed allegorico volebat intelligi,  
 quod quam ineptum sit omnes vident, qui didicerint, allegori-  
 cum s. mysticum sensum ne cogitari quidem sine grammatico v.  
 litterali posse. Nec multo melior est canon, vsu licet paene  
 communii interpretationum tritus; non esse a proprio verborum sen-  
 su sine manifesta idearum inter se pugna recedendum; qui quam  
 vagus sit & instabilis, alia disputatio sub Praeside nostro habita  
 declarauit.

### §. VII.

Ex his ipsis, quae proposuimus, consequitur: etiam si in-  
 terpretatio aliqua speciem non leuem veritatis habeat, isque, qui  
 eam suscipit, quomodo res gesta fuerit, e caussis naturalibus  
 probabiliter docere possit; eam tamen propterea admitti non de-  
 bere, quac pugnet cum loquendi vsu; sed, si ipsa loquendi con-  
 suetudo requirat, vt miraculum existimare credamus, illud nullo  
 modo repudiandum esse, quanvis difficultates quasdam tollere non  
 satis possumus. Nam quoniام nos omnia, quae interpretamur,  
 oportet e loquendi vsu metiri; quidquid eo intellecto cognoscim-  
 us in sacris litteris, diuinitus edictum credamus; idque cum  
 comprehendere animo propter inscientiam & imbecillitatem hu-  
 manam non possumus, ipius Dei sapientia edocti suscipiamus.  
 Afinam Bileam, vt est Num. XX, 28., articulos edidisse ac in-  
 telligibiles sonos, vix videatur credibile; quare non est mirandum,



fuisse, qui totam hanc rem fingerent speciem fuisse Bileamo in somno obiectam. Verum haud scio an ista opinio cum verbis diuinis consentiat? Etenim quod si, qui illam interpretationem probant, non possint ullam idoneam istius rationem afferre, (quod vel ex argumentis celeberrimi eiusdam Viri apparet, quae confutavit Vener. IO. HENR. PRATIE in disp. aduersus eum edita germaniceque conuersa Bremae 1761. 8.); id igitur primum magno arguento est, ingenio hic plus dari quam ipsis sacri codicis verbis. Ac sunt praeterea, quae disputari in contraria partem possint. Si *primum* in somno hoc Bileamo dicens contigisse, caue ne ipse somnies; illud enim fingis ad libidinem, nihil apud Mosen reperio. Quodsi somnium fuerit & tale quidem, quale Bileamo alias contigit (vide v. 20.): certe diuinum fuit & naturae vires haud dubie excedens. Ergo miraculum rnum cum altero commutas, & si quaeritur, utrum existiterit? satis est verbis facris inhaerere quam visionibus tuis. Porro ipse v. 21. docet, expergesfactum Bileamum post somnum diuinum fuisse prosectorum atque tum asinam in via locutam. Deinde PETRVS Apostolus 2 Petr. II, 16. Bileamum ait reprehensionem iniquitatis suae meruisse, cum murum animal humana voce cohibuerit vatis stultitiam. Rogo te, frigidumne feres hoc animal ἡφαεν dicere, cum per se clarum sit, ὑποσύγον i.e. asinam, vocem humanam edere non posse. Si ista in somno, nec contra naturam, Bileamo contigissent?

### §. VIII.

Arque haec, quae hactenus proposita sunt, ita sunt intellegenda etiam, vt, si vel vsus loquendi per se generatimque spectatus, aliquam interpretationem, quae rem vult sine miraculo factam esse, admittat, tamen illa repudianda sit, si definitus alius narrandi modus huiusmodi explicationi repugnet. Fit enim saepenumero, vt cerrum dicendi genus talia non admittat, multaque, in libris poëticis aut in dicendi genere sublimi & concitato rectissime, in plana, summissa simplicique oratione tolerari haud queant. Cuius generis est interpretatio ea, quam dedit

eo. CLERICVS & Anglus nescio quis? in libro: *The sun stan-*  
*ding still in the days of Joshua rationally accounted for by A. O.*  
*LL. D. Lond. 1739. 8uo*, cuius epitomen exhibet *Bibliotheca*  
*Britannica Tom. XXII. pag. 211-22.* Nempe cum sacer tex-  
*tus Iosuam dieat locutum cum Deo fuisse, nec tamen, quid lo-*  
*catus sit, adiiciat; coniicit ex Mosis, Israelitarum, Deborae ipsi-*  
*usque Iosuae exemplo, eum hymno post victoriam reportata*  
*laudasse Deum, in quo hymno, sublimi & audaciiori quodam-*  
*modo dicendi genere composito, solem lunamque sit allocutus,*  
*vt victoriam illustrissimam attoniti quasi admirarentur, qualis*  
*loquendi modus Psalm. CXLVIII, 3-4. & Iud. V, 20. reperiatur.*  
*Quam sententiam vult confirmare eo, quod dicat verba: Sol fi-*  
*stet gradum* cet. sumta esse e libro י'שׁ, quem τυλογήν hymno-  
*rum fuisse, colligi posset e 2 Sam. cap. I, 18. Si haec omnia de-*  
*derim in se recte posse dici, nihil est id ad rem praesentem.*  
*Nam neque verum est non commemorari in commentariis sa-*  
*cis ea, quae Iosua ad Deum dixerit, ipsa enim illa verba ver-*  
*su 12. extr. occurunt, ad solem lunamque dicta illa quidem, sed*  
*talia tamen, quibus simili istud miraculum a Deo expeteret;*  
*neque haec verba e libro י'שׁ sumta dicuntur, sed rem vere*  
*ita factam esse sacri scriptoris testimonio constat* ver. 12. 13.,  
*aut si ista vis verba libri י'שׁ esse, verba tamen v. 13. 14. non*  
*poëtræ sunt sed historici sacri, qui eadem plane repetit quae an-*  
*te commemorata fuere. As si vel verba in simplicissimo sermo-*  
*ne usurpata patiantur interpretationem rei gestae talem, quae fie-*  
*ri eam sine miraculo potuisse ostendat, iubent tamen modus*  
*eius rei commemoratis resque adiunctæ saepius, vt verum mi-*  
*raculum nullo modo negetur. Potest certe sol obtenebrari mo-*  
*do consueto per ipsam naturae constitutionem, sed in plenili-*  
*nio nullo modo potest. Itaque si legimus tempore eo, quo*  
*Christus in cruce vitam posuit, solem fuisse passum splendorem-*  
*que per tres horas amisisse, de miraculo dubitari nequit. Et*  
*vehementissimus clamor, quem ipsam ante spiritus extremi emis-*  
*sionem, hominum saluator edidit, fieri sine vi diuina non po-*



tuit; neque enim vilius hominis, qui animam agit, vires tantae esse possunt, quantae ad intentissimum vehementissimumque clamorem requirantur. Nec cludo pedum firmitatem restitu posse a rerum natura abhorret, sed ita ei illam restituere, ut id momento fiat vel verbo, atque sic, ut prolixire saltareque possit, (Actor. III, 7. 8.) id vero vel peritissimi medici artificium efficere non potest. Quod si ergo tale quidpiam, quale diximus, extiterit, semper cohibendum est & ad ea, quae in verbis explicandis proponantur, conformandum iudicium, antequam verum miraculum narratum fuisse negemus.

### §. IX.

Sed si huius rei nihil in loco explicando reperitur, liberumne est interpreti, rem factam, si ita videtur, e miraculorum catalogo proscribere? Non est profecto. Nam etiam si verba, quae in illo loco leguntur, videantur plures admirere significations aut sententias posse; tamen sapientissimus quisque scriptor, si vocabula incertae significationis usurpat, nisi in loco ipso, in aliis tamen, praesertim similibus, prodit, quamnam inter plures sententias, quas vnu venit cum aliquo vocabulo coniungi, prae ceteris cereberrime aut dato aliquo in loco adhibuerit; neque enim, hac lege neglecta, quisquam posset de verborum istius sensu satis certus esse. Quare si videatur dubium quo verba, quae aequaliter ad miraculum euentumque naturalem pertrahi possunt, referri debeant, nec alia argumenta controveriam dirimere possint: huiusmodi locus referendus est, si fieri possit, ad loca magis perspicua, vbi vel eadem vel similis plane res gesta legitur, atque tum ex illo, quomodo illa extiterit, iudicandum. Sunt quidam interpretes, qui verba Ios. X. v. 11. ita explicit, ut lapides de coelo decidisse & magnum aliquod miraculum extitisse fingant, illamque rem etiam fabulis *LIV* aliorumque de huiusmodi pluvia illustrent; quod defendere in primis conatus est *AVGVSTINVS CALMETVS* in *disquisitionibus biblicis* disquisit. XIX. edit. Moshem. P. III. pag. 53. lqq. Qui bus si responderetur, lapides istos magnos paullo post *lapides grandi*

*grandinis* אַבְנֵי הַפְּרָדָה appellari, obuerunt, haec verba non grandinem significare, sed plane lapides, qui eodem cum imperio & copia in terram deciderint. Quod effigium non melius occludi potest, quam aduocato loco Esa. XXX, 30, vbi isti *lapides grandinis* cum flammis, fulminibus, pluviisque componuntur; quas res cum nemo sit qui inusitatas aut miracula putet, non magis in loco nostro miraculum fingendum videtur. Contra de loco Actor. V, 15: disputant interpres: fuerint aegrotis, qui positi in plateis fuerant, ut umbra ipsos Petri transeuntis sanaret, vere ipsa illa re sanitas restituat; an minus; ut nihil dicere Lucas velit, quam eos, qui hos depositurint, illo errore abreptos vel umbrae Petri vim sanandi tribuisse? Iam in ipsis quidem Evangelistae verbis nihil est, quod soluere illam quaestionem posset, quare propter illud silentium posterior sententia vincere videatur. Sed mouet nos tamen locus similis Cap. XIX, 12., ut magis inclinemus in contrariam quaestions partem. Nam cum ibi Lucas dicat, per imposita aegrotis sudaria Pauli, morbos ab illis fuisse depulitos; quidni videatur ad veritatem propensior sententia eorum, qui verum miraculum etiam per Petri umbram factum esse arbitrentur?

### §. X.

Omnia, quae hactenus dicta sunt, valent in locis iis, in quibus vel ipsis vel similibus ipse diuinus sacri codicis auctor lectores admonuit. Sed non omnia sunt huius generis, nec sacris scriptoribus, tamquam historicis, imposta erat lex quocunque in loco, quomodo res facta sit, indicandi. Cum tamen, ut supra docuimus, miracula facta sint ad doctrinam ceterasque res diuinias confirmandas, & literis etiam hanc ob causam haud dubie mandata: alterutrum sit necesse est, si superiorum regularum nulla accommodari ad locum interpretandum possit, vel nos aliunde de hac quaestione decernere, vel, si huius rei nulla nobis ratio appareat, a rebus incertis assensionem cohibere debere. At quaenam sunt illae aliae quasi rationes & modi, quibus peruenire



nire ad verum huius quaestio[n]is iudicium queamus? Patus dicam. Primum, si nullo modo doceri possit quomodo aliquid per rerum naturam potuerit effici, ac potius res ipsa cum rerum natura pugnet; miraculum existit. Nam et si parua est nostra limitibusque circumscripta intelligentia virium naturae; quadam certe, ita euidens est perpetuoque visu & experientia confirmatum, contra naturae vim & potestatem esse, ut vel cogitare serio contrarium velle a sensu communis abhorreat. Corpora grauiora habere vim deprimendorum leuiorum arque suopte nutu ac pondere deferri deorsum; contra leuiora in grauiorem materialiam humidam demissa natare, satis constat & ipsa harum rerum natura necessarium existit. Quod si igitur ferrum natasse in aqua dicitur 2 Reg. VI, 6. aut Christum ambulasse in mari, quod ferre Petrum non poterat: non dubitandum est illo modo, id per miraculum existisse. Et si quinque panes cum duabus piliculis, administrante Christo, sufficerint ad quinque millia virorum, paene inedia confectionum, non modo famem, sed ad sportas duodecim reliquis fragmentis replendas; profecto nemo tam absurdus est & omni sensu destitutus, quin, si istam rem factam agnoscat, eam naturae vires longe superasse credat. Atque cum pariter sit contra sensum communem existimare, quod ii, qui vim nullam habent ad efficiendum, vt quidquam, quod non est, existat, quod isti, inquam, possint id, quod est, ad nihilum redigere. aut dare rebus vel auferre animam & vitam contra istarum rerum naturam; consequens est, si Christus mortuis, iisdemque iam malum odorem quanto post mortem die emitentibus, vitam reddidit, id sine miraculo factum cogitari nullo modo posse; quare non miror SPINOSAM dicere consueuisse, vt narrat BAELIVS (in Diction. artic. Spinosa, littera N.) repente se, damnatis sententis suis, descendere ad communem Christianorum religionem velle, si, Lazarum vere ad vitam reductum esse per Christum, sibi posset persuadere. Ac eo maior sit nostra de miraculis editis certitudo, si illi, qui rem non ita per miraculum factam esse defendant, rationem excogitare coacti sint, quae multo magis naturae ordinem

nem turbaret, quam ipsum miraculum. Nam quoniam Deus, propter summam sapientiam, exactissimam sequitur parsimoniae legem: certe, quae aequa bene minori miraculo effici possunt, non efficiet sic, ut plures adhuc naturae leges tollat. Vnde admiranda est leuitas eorum, qui, cum legant Apostolos, per Spiritus sancti virtutem, facultatem accepisse loquendi linguis, quarum numquam antea intelligentiam habuerint, hanc dotem iis tribuendam esse negant atque arbitrantur, iis, qui eos loquentes audierant, visum fuisse, quod Apostoli non sua sed peregrinis linguis repente inciperent loqui; neque cogitant multo plurium mentes commutari quasi diuinitus debuisse, quam tum, cum soli Apostoli inusitatam hanc dotem acceperint. Eiusdem viiiii accusanda ast ludicra MORHOFII opinio, quam in *Hialoc. aſte suo* (Kilon. 1683.) proposuit, in quo libro vult persuadere lectoribus: quemadmodum constet, sonitu vel clamore apte ad aliquid corpus directo illud confringi posse; sic non ineptum esse sed verisimile admodum, muros Hierichuntinos Iof. VII, 20. cornuum sono atque intento Israelitarum clamore fuisse deiectos. Quod si fieri debuisset, certe multo plura omnemque cogitationem longe superantia concurrere ad tantum imperium debuissent, quae tamen vehementer dubito ut tantam vim habere possint, quanta adfuit, si miraculum in illa resumitur: meque vehementer poenitet artis bellicae, quae nostra aetate ad tantum fastigium evecta dicitur, quod nostri homines puluere omnibusque tormentis bellicis ea efficere non possint, quae Israëlitae, ut MORHOFIO placet, clamore solo effecerunt. Sed aduersus hoc somnium digna est, quae conferatur, obseruario ad loc. cit. Iosuae, quae legitur in Bibliis cum doctorum in Anglia virorum Observationibus, etiam germanice editis, Tom. III. pag. 75. 76.

### §. XI.

At non sunt omnia rerum admirabilium & iauisatarum, quas sacri libri commemorant, exempla huiusmodi, ut, si ipsa verba sacra rem non definiant, nihil negotii sit iudicare, quid

D

de



de modo, quo factas sunt, vel diuino vel naturali sentiendum sit. Quare hunc alterum canonem ponimus: si accurata naturae eiusque virium intelligentia nihil valer ad hanc caussam definitam, non singenda esse miracula, ubi nulla sunt in illo sacri voluminis loco miraculorum vestigia notata: etiam si talem rem mente non satis complecti queamus aut docere, qua via & ratione effecta fuerit. Namque si Deus tali aliquo in loco indicare miraculum voluisset, hoc certe aliquo modo significasset; quomodo enim si cetera, quae propositumus, indicia nihil quam huic rei prodant, aliter, quam admonitione diuina edocet, illam rem possemus atque eo confirmatam veram religionem intelligere? & quomodo non alienum a caelestibus verbis sensum ementiri? Illustram illam rem, quae tempore Hiskiae regis exstitisse in solario Achasi narratur 2 Reg. XX, 11. & Esaiæ XXXVIII, 8., ut umbra indicis decem gradibus retroflectetur, nec illam modo commutationem in umbra sed ipso in sole eiusque cursu efficiam suisse fingunt. Quod fit sine ipsis scriptoris sacri consensu, qui eius rei ne verbo quidem mentionem inierit; ac si ad Esaiæ verba prouocant, qui talem videatur vicis studinem ipsius solis narrare, non cogitant, *fo. 18* vocabulum vel tropice vel optice positum esse, quod ipsa ostendunt clarissima verba & *ESAIÆ* & scriptoris librorum, qui nomen a regibus habent. Adde quae S. Vener. DIETELMAIERS ad *Biblia cistata* Tom. IV. p. 478. seqq. doctissime monuit contra securi sententium argumenta; neque tamen is neque aliis, qui nostræ sententiae est, verum miraculum ibi contigisse negat, sed nolunt illud singi grandius, quam per verba diuina licet. Similiter Luc. IV, 30. aut Ioh. VII, 59. cum Christus medios per hostes transiisse dicitur, atque post redditum ad vitam Ioh. XX, 19. per ianuam diligenter clausam: plerique sunt, qui nescio quid miraculi videant, disperguntque etiam, quo modo illud exsisterit? vitrum sic, ut Christus eorum, qui aderant, veluti oculos obscurauerit, an esset, ut ipsum corpus suum videri non posset? an hoc cadat in corpora eorum omnium, qui restitutam experti sunt animi cum illustrio-

◆ ◆ ◆

illustriori corpore coniunctionem, ut comprimi dilatarique hoc corpus pro arbitrio possit; & quae sunt generis eiusdem. Quae omnia sunt iugatoria incertaeque disputationis, dum nondum constat vel e scriptorum sacerorum verbis vel aliunde etiam, haec omnia contra naturam facta fuisse; nec miraculo opus est, ut quisquam, praesertim magna hominum multitudine praesente, se aliorum oculis repente subtrahat, vel ianuas clausas magna vi atque impetu perrumpat. Quod quando e caussis naturalibus quomodo manare potuerit, probabili ratione doceri potest, tum *tertio loco*, ad iunctisque cautionibus iis, quas in omnibus huius generis praecipitis possumus, praeter rem diceremus miraculum extitisse. Quod si enim Deus, ut in ipsis theologiae elementis demonstratur, non prodigus est in edendis miraculis, nec rerum ordinem & coniunctionem continentem sine necessitate inuertit: Deum non sapientissimum profiteremur, si diceremus, tamen eum miraculo effecisse, quae aequae bene & ad consilium eius exsequendum accommodatissime, per vim naturae possent obtineri. Somnium vxoris Pilati Matth. XXVII, 19. si quaeritur: vtrum naturale fuerit an fecus? nihil enim verba ipsa declarant: nos non pudet esse sententiae eorum, qui illud e miraculorum catalogo proscribant. Neque enim id dubitationem haber, cum IESV CHRISTI miracula omnem fama sua terram Iudaicam repleuissent, Procuratoris Romani vxorem magna illa atque admirabilia de Iesu audiuisse. In quem Iudeos immortali odio incensos ut vidit a PILATO milites postulasse, quorum ope iam eum comprehendenderent & Procuratori iudicandum traderent: facile est profecto ad iudicandum, ea ipsa nocte, qua haec omnia debebant peragi, harum rerum species feminae fuisse in somno obiectas, quae effecerunt, ut, cum IESVM ad iudicium raptum intelligeret, maritum de eius innocentia admoneret; quamuis non negemus Deum, sapientissimum omnium, quae sunt, moderatorem, & ita rerum ordinem administrasse, & propterea quoque omnem hanc rem in sacros libros referendam curasse, ut constaret, ipsos illos homines, qui fuerint a vero vnius Dei cultu remoti, rectius atque aequius Iudeis de Christo eiusque innocentia summa iudicasse.



## §. XII.

*Denique si sacra scriptura neque in aliquo, de quo quaestio est,  
loco neque in simili, ullam habet miraculi significacionem, ac nibil tunc  
excogitari potest, quod obtinere Deus per miraculum aliquod vel vo-  
luerit vel potuerit etiam, aut, (quoniam obicietur, nos non habere ido-  
neam consiliorum diuinorum modiciorumunque ad ea exequenda pertinentium  
notitiam,) si per fidem huiusmodi miraculum adeo impeditum fuerit ali-  
quod nobis cognitum consilium Dei: vel Deum, sequitur, sine causa egisse  
& pugnasse aduersus ipsum (quod defendere quam ineptum est & ab omni  
pietate abhorrens!) vel eam rem nullo modo pro miraculo habendam esse.  
Deum, ut hoc vtar, clarum est per miracula praesente Pharaone per Molem  
Aaronemque facta, demonstrare voluisse; vere suos legatos hos esse, seque-  
rvelle ut a rege genit Israelicita dimitteretur. Enimvero disputant interpres,  
cum Chartummaci Aegyptii miracula Moysis fuerint imitati, quanam vi horum  
miracula facta fuerint, suntque, qui dicant: ipsum Deum ad aliquot tempus  
sum vim dedisse Chartummacis; quod nobis multis de causis non videtur.  
Sed, ne suspiciamus disputationem ad hoc nostro instituto alienam, hoc vnum  
placet premere, quod Deus, si Chartummacis commodasset, ipse pugnasse ad-  
uersus lefe commodumque impediuit, quod Pharao cum sis, «Mosis mi-  
raculis nancisci potuisset, vt de vi diuina in miraculis Mosaicis praefende cer-  
tior redderetur. Neque vero hanc opinionem suam defendere ita possunt, vt  
dicant: vel propter en Deum Chartummacos in tribus primis miraculis adiu-  
uasse, vt eos postea resonantes quartum miraculum in scinophilibus producendis  
Exod. VIII, 18, seq. desereret, atque it cogentur publice confiteri: hic Dei  
digitum h. e. vim conspicuum esse. Namque semper in istis tribus miraculis  
locum haberet illud Cassianum: *Cui bona?* & causa esset queendi: cur,  
cum per vnum miraculum iam cogi vel Pharao vel Chartummaci potuissent  
vt diuinam vim in miraculis Mosaicis agnoscere, eti illa tria non ante facta  
fuisserint, tamen Deus voluerit *veris miraculorum fraudem* Chartummacorum ali-  
quantulum adiuvare? §. XIII.*

Postrimo si per haec, quae hactenus disputata fuere, cognitione sit inter-  
preti, eventum aliquem vel nullum vel non profrus miraculum fuisse, atque  
sic vel omnia vel quedam ex causis naturalibus explicari posse; non ad  
libidinem fingendum est ab eo modus, quo ille exsisterit, sed excutendum  
omne textus faci argumentum, atque evidendum, vtrum ex eo modus duci  
vel eo conjecturae nostrae confirmari satis queant, quae tum optimae, putan-  
dae sunt, si & istis verbis sacrorum librorum & naturae rerum, legibusque,  
quas illa sequitur, maxime contentaneae sunt. Faxit autem Deus O. M., cuius &  
virtus & sapientia tot tantisque modis hominibus se conspicendi admirandamque  
praebuit, vt, numquam levitate, vanitate, superstitione aut diuinarum  
rerum contentum abduci a veritate, Deum vbius praefentissimum agnoscamus.  
& ipsius nutu ducti puro animo gratissimaque mente cogitemus mirabilia  
Dei, & tamquam in speculo intueantr eum, cuius admiranda benignitate recre-  
abimur in perpetuum. Ut si foli sapienti Deo sit laus & gloria in omnia saecula!







AB: 134322




56.



B.I.G.

Black



DE  
**IVDICIO MIRACVLORVM**

IN  
SACRA SCRIPTVRA COMMEMORATORVM  
CAVTE AB INTERPRETE INSTITVENDO

DISPVATI<sup>O</sup>

PRAE S I D E  
**IOANNE AVGVSTO NOESSELT**

THEOLOGIAE PROFESSORE

AD D. XXIX APRIL. MDCCCLXII  
PVBLICO EXAMINI SVBIECTA

AB

AVCTORE

**IOANNE GVNTHERO STELLWAGEN**

ECCLESIAE BARSTEDENSIS IN FRISIA ORIENTALI

H. T. PASTORE.



EDITIO ALTERA EMENDATIOR.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELII VIDVAM  
MDCCCLXVI.

